DE VITA AUGUSTI ARCHIEPISCOPI ZACCO EPISCOPI TARVISANI COMMENTARIUM...

Antonio Scoti

DE VITA

AUGUSTI ARCHIEPISCOPI ZACCO

EPISCOPI TARVISANI

COMMENTARIUM

ANTONII SCOTI CAN. TAR.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D. D.

JOSEPHO GRASSERIO

EX TARVISANA EPISCOPALI SEDE

AD VERONENSEM MIGRANTI

DICATUM

TARVISII

EX TYPOGRAPHIA ANDREOLIANA

MDCCCXXIX.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. EPISCOPO

JOSEPHO GRASSERIO

NOMINE ET JUSSU COLLEGII CANONICORUM

ECCLESIAE CATHEDRALIS TARV.

ANTONIUS CAN. PELLIZZARI

Qui Te primum sex abhinc annis, cum ad hanc Tarvisanam Ecclesiam Episcopus accederes, alloquutus sum publica gratulatione ex suggestu in Cathedrali templo, Collegii Canonicorum jussu et nomine, laeta stipatus hominum cujusque ordinis frequentia; nunc quasi privatim, non voce, sed per epistolam eorundem jussu et nomine alloqui jubeor discedentem in magna et communi omnium perturbatione et moestitudine. Quid non commoveri? quid non adflictari bonus quisque potest, cum sibi vigilem Episcopum atque adeo sollicitum Patrem auferri videat? quo frui vix tandiu datum est, donec sedulitatem ejus experiri, virtutesque satis cognoscere posset. Atque illud etiam hoc loco aegre fero, non posse me tecum agentem de virtutibus tuis verba facere, ne, si animi tui modestiae obviam iero, scribentem juxta et verba averseris, perinde quasi haec assentatorum ritu comminisci auderem. Quamquam, ut omnia

silentio praeteream, at ex hominum animis, quod de Te judicium fecerunt (discessu enim tuo privari se existimant praecellenti bono, dulcique praesidio) nunquam abolescet. Quid porro de Canonicorum collegio dicam, cui Tu non dubia amoris et voluntatis signa ostendisti? Propterea, cum Te praesentem omni studio et fide ipsi semper coluerint, maximique fecerint; tum maxime abeunti hac die observantiae atque obsequii significationes exhibendas putant. Sic igitur habeto, Amplissime Praesul, quamvis Silim Athesi mutes, tuorum benefactorum, tuaeque in nos clementiae et comitatis memoriam nulla obruet oblivio, nullum tempus delebit. Atque ut aliquo exteriori indicio cordis sensa testemur, illud nobis in mentem venit, ut nomini tuo libellum dicemus, quem si benigne exceperis, ad caetera beneficia tua etiam cumulus accedet. In hoc libello decessoris tui vita breviter strictimque descripta est ejus, qui satis recenti memoria quintus a Te retro fuit in numero Episcoporum hujusce S. Tarvisanae Ecclesiae, Augusti videlicet Zacco. Hic primum Corcyrensem Archiepiscopus, deinde hanc Episcopus rexit Ecclesiam. Narrationem vero vitae praestantissimi Praesulis tradidit eruditissimus vir Antonius Scotus, hujus collegii nostri Canonicus: nisi quod perpauca huc vel illuc addenda duximus, sicuti locus his esse videbatur. Praeterea et hoc peropportune cessit, ut nobis haesitantibus et perquirentibus, aliquid domesticum, ut ita dicam, se obtulerit, quod nostrum quodammodo existimari possit,

quodque Tibi, qui hanc eandem tenuisti Episcopalem Sedem, quae olim tenebatur a Zacco, cujus Tu praeclarissimas etiam virtutes imitaris, optime congruat.

Jam vero Tibi perjucundum illud fuisse certum est, quod allatus jampridem Vindobona nuntius attulit; virum nempe illum Tibi in hac Episcopali Sede sufficiendum renuntiari, quem Tibi carissimum esse in compertis habemus: quippe qui illi, cum virtutes, quibus abunde praeditus est, perspectas haberes, plurimum tribuere consueveris, atque adeo in partem curarum, laborumque tuorum adsciscere minime dubitaveris. Clementissimus enim ac piissimus Imper. et Rex noster FRANCISCUS *hujusmodi virum Summo Pontifici obtulit, quem Ecclesiae huic sua auctoritate praeficeret, cui tuto concreditam fuisse gauderes: non enim ab ea ita discedis, ut amor, quo eam prosequebaris, minuatur aut nimis deferveat. Sed et nobis optime eodem tempore factum est, ut multo ante quam abires, cum de successore incerti atque anxii trepideremus, certiores redderemur virum talem esse designatum, qui notus jam et probatus omnibus, omnium quoque ex discidio tuo dolorem acceptum leniret, expectationemque et vota compleret. Quo quidem fit ut ipse Imper. et Rex noster non modo nobis non auferre beneficium quo primum Te nobis donandum curavit; sed illud quodammodo instaurare et renovare videatur. Atque eo gratius nobis cumulatiusque beneficium visum est, quod nova quadam nec communi ratione ex hoc ipso Canonicorum*

caetu delegerit, quem exhiberet Pontifici Maximo, ut eum ex aequalium subselliis ad supremam in hac eadem Tarvisana Ecclesia sedem traduceret. Quo quidem factum est, ut novum decus ac splendor accesserit ordini nostro, atque ipsa haec Ecclesia, tum et civitas ipsa simul se honestari gaudeat. Quare nihil aliud in hac rerum vicissitudine nobis optandum restat, nisi ut **Te Deus O. M.**, *cujus providentiae obsequeris, incolumem tueatur ac sospitet: tum ne tua ex memori mente eorum recordatio excidat, qui* **Te** *hinc alio commigrantem summo studio deducere, et prosequi contendunt.*

DE VITA
AUGUSTI ARCHIEPISCOPI ZACCO
EPISCOPI TARVISANI
COMMENTARIUM
ANTONII SCOTI CAN. TARV.

I. Augustus Zacco Francisci filius, Veneta de gente patricia profectus, natus est Patavii IV. Non. Jan. MDCLXII. Non est cur quaeramus quae mens ejus fuerit, quodque studium a pueritia atque ab adolescentia, cum satis indicent quid de eo sentiendum sit ea, quae quasi ingenii sui primitias adolescens literis mandavit. Nam multa natu grandior, et graviora conscripsit: quorum plurima in scriniis suis licet latere passus sit, ostendunt tamen quanto opere in literarum, ac scientiarum studia incubuerit. Bona indole praeditus, sanctisque moribus, clericali militiae se addixit, ut amplissimos, quos sibi patria contulisset honores, declinaret. Quo quidem in gradu cum nova in dies ederet exempla virtutum, factum est, ut in praeclarissimum gravissimumque collegium Canonicorum Ecclesiae Patavinae jure meritoque adlegeretur. Tali dignitate auctus, vix annos natus viginti septem, eo magis, quasi sibi admoto calcari, incensus, se totum persequendis colendisque virtutibus tradidit. Accidit etiam ut perfectum virtutum omnium exemplar ante oculos sibi quotidie versaretur, sanctissimus videlicet Gregorius Cardinalis Barbadicus, qui tunc temporis Patavinae Ecclesiae clavum regebat: quo praeeunte, non potuit quin vestigia ejus sequeretur.

Quare, cum se ipse illi Cathedrali Ecclesiae jurejurando obligasset, quidquid muneris sui esse intelligebat, quidquid ad Dei cultum spectare videretur, sedulo exequabatur. Quia vero in tractandis negotiis insigni erat instructus ingenio, ideo Patavinum Capitulum ei, quae majoris momenti essent, negotia demandabat. Sed non modo strenuam fidelemque operam Ecclesiae suae navavit, verum etiam de animarum salute sollicitus, praeter caetera pietatis officia, ad imbuendos Christiana doctrina pueros toto pectore incubuit.

II. Sciens autem mendicos, et errones, pane, qui parvulorum panis vocatur, prae aliis indigere (nam fere semper, quasi oves Christi non sint, non est qui eorum curam habeat) hinc non tantum quae ad aeternam salutem comparandam plane sunt necessaria, sed non semel Deum ipsum ignorant: tanta commotus necessitate statuit opem miseris ferre, ne res tanti momenti pessum irent. Scholam igitur instituit, in qua ipsi tantum convenirent, eamque unice deperibat, et singulis diebus dominicis, frequenti ipsorum caetu, et Praeses, et Praeceptor adibat caelesti doctrinae pabulo eos nutriturus. Ut vero eosdem alliceret, singulis quotidie, cum interessent, stipem conferebat.

III. Tantae igitur pietatis, summaeque prudentiae fama, quae jam late percrebuerat, permotus Clemens XI. Romanus Pontifex, eum anno millesimo septingentesimo sexto III. Cal. Juni ad Corcyrensis Ecclesiae regimen promovit, ejusque electionem pie decima quinta Novembris in frequenti Cardinalium Collegio renunciavit. Qui consecratus in Ecclesia Divi Marci almae Urbis a Cardinali Rubino die vigesima prima ejusdem Novembris, septima sequentis Martii per Cardinalem Panphilium Pallio fuit insignitus. Die vero sexta Octobris anni sequentis, juxta antiquam Graeci ritus supputationem, Roma appulit Corcyram, non sine maxima septem supra triginta dierum morosae navi-

gationis molestia. Sed affecta ejus, ob difficilem navigationem, valetudine, distulit usque ad diem nonam Novembris accipere solemni ritu Ecclesiae Corcyrensis habenas. Quantopere Ecclesiam suae fidei commendatam adamaverit, protexerit, ornaverit, vel ex paucis, quae subjcientur, satis patebit.

IV. Statim igitur ac Corcyrensem gregem suum regendum suscepit, sibi proposuit honorem Dei procurare, quacumque humana ratione posthabita, mirum sane, difficile, et plenum aleae periculosae negotium, aestimanti praesertim obstinatissimam Graecorum indolem, qui interdum in eadem Cathedrali Sacra faciunt. Atque hinc patet quo ipse consilio et mente opus illud confecerit, in quo agit de Graecorum schismate, eorumque cavillationes refellit. Sed et novum creabant incommodum homines ex diversis regionibus illuc confluentes, falsa imbuti Religionis doctrina, qui saepe in Venetorum copias assumi petebant, ut stipendia facerent. Continuo intellexit multiplici malo laborare Ecclesiam suam, cui ut occurreret, certa quasi lege tum Graecorum, tum latinorum, tum etiam alienigenarum mores aggreditur instruere. Probe autem sciens Pastoris exemplum valere plurimum ad informandum gregem, ac tantum non unice, sacris obeundis caeremoniis semper intererat: neque Pontificalibus tantum, verum etiam iis, quae privatae censentur pietatis: uno verbo ubicumque seu foris, seu domi fuisset, ex ejus vivendi ratione prodibat numquam intermissus Religionis et pietatis amor. Quoniam autem in sua Archiepiscopali Ecclesia mos non erat, ut Dominicis diebus Quadragesimae populo exponeretur de genu adorandum honorario in solio Augustissimum Sacramentum, id in posterum fieri decrevit, imposito etiam sibi ultro onere cereis bene multis altare ipsum adornandum, ad majorem divini cultus magnificentiam.

V. Oves autem sibi commissas ut ad meliorem frugem revocaret, Christianam doctrinam enixe promovit: et quicumque

eam calleret, ei auctor erat, ut suam aliis doctoris praestaret operam, ac feliciter exemplo magis, quam voce persuadebat. Itaque vidisses Praesulem statis diebus, statisque horis, nihil pensi facientem, si vel aestu ferveret aer, vel saeva tempestas atque aspera hiems, molestiam qualemcumque facesseret, crearetve periculum, vidisses, inquam, eum tenellis pueris, instar matris amantissimae, et iisdem insidentem una subselliis, prima Fidei rudimenta tradere; immo rudissimum, et abjectissimum quemque, in deliciis habere, illi blandiri, ac propemodum ad oscula ipsa descendere. Ab udienda recitatione expeditus, Cathechesin, ut ajunt, instituebat; cui frequentes aderant non Latini modo, sed etiam Graeci; eamque obibat stans semper, neque infra justae horae spatium. Dum autem caelestis doctrinae pabulum ita frangeret, adeo vocem intendebat et vires, ac tanto charitatis aestu efferebatur, ut ad lacrymas usque audientium corda afficeret, penitusque pervaderet. Æstu et labore pene confectus, adeo sibi non consulebat, ut e templo non ante discederet, quam rite Deiparae elogium, quod litanias nuncupant, palam omnibus caneretur.

VI. Ecclesiasticis quoque mire facundus et blandus persuasit, ut aliis exemplo bonorum operum praelucerent, neque paterentur ut simultate ulla fraterna inter se charitas desideretur, aut dissuatur, aut etiam frigescat: quod quam bene ei successisset cernere est oculis inspicienti Corcyrensem Clerum ita compositum, ut cor unum, et animam unam dicere potuisses: usque adeo cum palam omnibus, tum intra domesticos parietes, ardentes in manibus lucernas praeseferebant. Ecclesiam suam, quae quasi Sparta, ei obtigit, cum multiplici rerum inopia laborare comperisset, earum praecipue, quae ad Dei cultum spectant ornatumque; sacra supellectili satis laute ditavit, tabulasque, Venetiis deductas sacram aliquam referentes historiam, eleganti et deaurato munitas ac circumseptas ornamento, Choro, quem

dicunt, applicuit: nec non lampadibus argenteis, et candelabris aras singulas adornavit. Idem tamen in suae Archiepiscopalis Ecclesiae ornatu, licet magnifico, non conquievit; sed ad augendum ibidem Dei cultum animum intendit, idque praestitit tria instituens beneficia (mansionarias dicunt), quorum primum Sancti Constantini nuncupatum obtinenti id onus imposuit, ut divinis interesset officiis: alteri eorum praedia attribuit, quae ipsemet quadraginta, supra ducenta, ducatis aureis comparaverat; voluitque sacerdotem electum Choro mancipatum, et prima luce ad aram quotidie litare. Quo autem tempore Turcae Corcyram circumsederunt, atque oppugnarunt, solo aequaverant molendinum, a quo Archiepiscopis certa annua pecunia pendebatur: id Augustus noster mille et septingentis nummis (vulgo Reali) restituit, censumque ex illo refecto, tertio mansionario destinavit, ut cum aliis Canonicis Horarum pensum quotidie cantu persolveret, et hora meridiei proxima sacrum faceret, stipe etiam accepta, utpote integra illi facultate commodo cujuscumque petentis spiritualem Missae valorem attribuendi. Tertiam hanc sic institutam Mansionariam, cum postea Augusti successor Praesul irritam fieri conatus esset, ratam habuit, firmavitque decreto Romana Sedes. In eamdem insuper Ecclesiam Sodalitium sub invocatione Crucifixi Domini primus induxit, cui tres supra triginta fratres adscribi voluit, idemque aere proprio affatim locupletavit.

VII. Qualiscumque tamen ejus fuerit in suam Ecclesiam munificentia, mirum quantum beneficus fuit in pauperes. Ubi precibus se daret, semper praesto erat loculus pecuniae vi bene multa refertus, quam in eos erogaret praecipue pauperes, quos verecundia domi coercebat, quorum si quem aliena etiam voce digna fides ei commendaret, continuo mandabat familiari cuidam suo, ut pro modo necessitatis omnia supplici suppeditaret, quippe memor, dictum a Christo in Evangelio: *nesciat sinistra*

tua quid faciat dextera tua. Singulis praeterea Sabbatis pro ea, qua in Deiparam ferebatur pietate, obviis promiscue omnibus elemosinam impendebat. Quid plura? Quam plurimos menstrua frumenti, et vini stipe sustentabat, harumque largitionum Cancellarius ejus erat et procurator, et testis. Virgines, nuptae, viduaeque necessariis vestibus destitutae eo, ut provido patre, utebantur; quippe qui non patiebatur quidquam ab eis desiderari. Nobiles autem, honestosque homines indigentes, non modo suavissimis verbis erigebat, verum etiam auri, argentique opportunum subsidium praestabat. Maxime autem omnium digna, quae literis mandetur, ejus pietas erga Sanctimonialem e Germania, quae cum ejusdem gentis duce auxiliariae cohortis, insciis custodibus, aufugerat: a quo tandem neglecta, eo inopiae devenerat (digna suo piaculo merces), ut omni plane alimonia, cultuque destituta, humi cubare cogeretur, strato vilissimis paleis lecto. Dei adspirante gratia, quibus premeretur angustiis, Archiepiscopum certiorem fecit, qui nihil primo deliberans, mox gliscenti misericordiae obsecundans, omnia ad vitam necessaria, una cum lecto, ad eam deferri jussit, suorumque opera praestitit, ne in posterum quidquam illi alimentorum deesset. Per medicos quoque, et medicamina de suo comparata, ejus reparandae saluti impense consulens. Interim audit, nescio quo casu, nudam illam cubare; statim, quia melior tunc subsidii ratio non suppetebat, aliquot de suis subuculas ad eam mittit vere Pater, planeque misericors. Ubi tandem convaluit, animae curam egit: commendatamque de meliori nota Venetias mittit, ut in Germaniam caute reduceretur. Adde, ubi rescivit, quosdam inter Germanos milites, qui Venetorum aere merebant, apostatas esse, qui sacra a familia, cui nomen dederant, impie transfugerant, haud mora eos advocat, validisque rationum momentis eorum discutiens tenebras, efficit, ut *ad cor redeant*: ita resipiscentes illi ad suos Fratres redire statuunt; eosque, ut

a suis Praelatis misericorditer exciperentur, commendatitiis literis Augustus prosequitur, commodo quoque instructos viatico.

VIII. Sed non unam perditam ovem de alienigenis ad Christi ovile Pastor bonus revocavit: mirum enim quot Judaeorum Corcyrae morantium ferream duritiam fregerit, viceritque. Ut autem Neophyti Christiana doctrina imbuerentur, doctis et spectatae virtutis viris claustralem philosophiam profitentibus, et praesertim Societatis Jesu, ad id ex Italia accitis, alimenta praestabat. Ipse autem Cathecumenos, statim atque satis didicerant, quae scitu sunt necessaria, gaudio triumphans baptizabat; et ne postea eosdem coactos vitam tolerare precario, et passim petito pane paeniteret, quod divitiis se se abdicassent, ut Christum sequerentur; suis sumptibus, quaecumque usui forent, suppeditebat: eorum filias, donec nuberent, alebat de suo, non tamen sine delectu sponsi, quem singulis probatis moribus conquirebat, dotis quoque nomine, erogato pretio, si eam dare parentes aliquando recusarent: viris vero ut adscriberentur militiae satagebat, non inter gregarios tamen, sed inter ordines majorum partium, ut ajunt latini. Caeterum insignis, et memoria posterorum digna Judaeae Viduae, ejusque non infimae sortis conversio, quae ita Sacram Scripturam tenebat, et fidei Catholicae dogmata probe callebat, ut Sacerdotes, quos Regulares nuncupant, ad eam erudiendam missi, invenerint ad baptismum mox suscipiendum satis instructam agnoverint ac pronunciaverint: adeo magnus in eam operae fructus derivatus fuerat e Cathechesi, cui quotidie interesse consueverat. Baptismo tamen illico initiari distulit, nempe sollicita ac dolens de duabus filiabus, et filio, quos in infedilitate reliquerit. Sed maternus, quo prolem prosequebatur, amor eam a sancto consilio deterrere non potuit, tacite quippe secum reputantem, extra Catholicam Ecclesiam nullum esse ad aeternam salutem aditum. Hinc rebus suis consulens, liberis quoque suasit, ut in ejus senten-

tiam consentientes, Christi una partes sequerentur; et quoniam Deo adjuvante feliciter persuasit, omnes una die lustrali lavacro Archiepiscopus expiavit; ita quos amantissima mater graves inter dolores enixa fuerat, laeta iterum caelo peperit: facta deinde magna laetitiae accessione, cum vidit opera, et impensis Archiepiscopi nuptui datas viris ditioribus et honestis. Supputent alii Lutheri Asseclas, Calvinistas, Anabaptistas, Jansenistas, Pelagianosque, aliosque Romanae Ecclesiae invisos gregarios milites, aut duces, qui solemnibus caeremoniis, non modo in manu Sacerdotis alicujus de multis e Societate Jesu, quibus id muneris mandatum fuerat, sed etiam coram ipso Archiepiscopo antiquos errores abjuraverunt.

IX. Tanti autem summus terrestrium copiarum dux Praesulem nostrum faciebat, ut aequo animo, atque adeo libenter, intentisque auribus eum audiret de Christiana Religione disserentem; cum, praeter eum, nemini his super rebus coram illo vel hiscere liceret. Sane illum unice amabat, et quotiescumque in praetorium vocati Proceres conveniebant, Archiepiscopus aderat, atque hic fiebat saepe, ut, nulla habita temporis, locive ratione, sermonem induceret de Religione, quippe qui totus in eo erat, ut eum Christo lucreretur: cumque firmissimis pro veritate argumentis ab Archiepiscopo allatis quid responderet non haberet Sculemburgius, opinio constans fuit, ut mihi relatum est, si Augustus Episcopatu non abiisset, pro certo futurum, ut Lutheri partibus valediceret, et Orthodoxam Religionem amplecteretur. Hanc conjectantium opinionem mox dicenda confirmant.

Pinacothecam bene multis tabulis, illustres Europae Viros referentibus ornatam, habebat, easque die quadam solemni assignata convivio, placens sibi, Archiepiscopo spectandas dedit. Quibus ipse spectatis, dignaque eas prosequutus laude, omnia bene se habere inquit, et unum esse, quod miretur, imaginem

sibi maxime necessariam desiderari. Quaerenti quaenam tandem ea esset, prompte respondit, afflante nempe Dei spiritu, intraque praefante: Deiparae pictam effigiem hic inter alias videre discupio: spondeoque, si hac in re voto meo obsecundaris, futurum, ut magnus tibi operae fructus constet. Quibus ex improviso auditis Dux ille summus, demisso capite, obticuit. Paucis post diebus Praesulem in proprium cubiculum iterum duxit, ubi erat imago sacra, quam Praesul commendaverat, et, quod summae venerationis argumento erat, pretiose ornata, veloque serico obnupta. Antistes gaudio gestiens, spiransque pietatem totus, multa inter loquendum serere de Deiparae laudibus, quae intentis arripere se auribus alter non uno signo ostendebat.

Adde huc: cum nesciret idem Dux vel tantulum obloqui, atque adeo hiscere contra Epistolas Divi Pauli, quadam die Archiepiscopus, studio provectus ei persuadendi, ut se misericordem, facilesque aditus praeberet pauperibus, e Paulo sumpsit persuasionis argumenta, seu locos, ut ajunt Rhetores; neque irritus conatus fuit: ex illo enim tempore Sculemburgium nacti sunt pauperes munificentissimum, eoque ut patre utebantur miseri homines, magis in diem intra praecordia Ducis charitate effervescente: cujus rei testes sunt, de quibus optime fuit ille meritus, Fratres Minores de Observantia, quorum domicilium ad urbem extra pomoerium: virgines quoque ab illo dotatae praesertim illae, quorum parentes in bello occubuerant.

X. Sacros ritus optime callens, eisque inhaerens mordicus, quacumque quis dignitate praefulgeret, ne transversum quidem unguem a Romano Caerimoniali eum recedere patiebatur, immo abusum multiplicem, qui irrepserat, de medio sustulit, atque omnia juxta ejusdem Caeremonialis praescriptum ordinavit.

Spectata hac prudentia, summaque pietate, maximam sui admirationem excitasse eximiis in Republica viris inde maxime

apparet, quod Andreas Pisanus Legatus, tum Antonius Lauretanus insularum Praefectus, ipsa die, nempe vigesima Junii anni 1716, juxta antiquam supputationem, qua Classis superbi atque immanissimi Thracis Corcyrae fretum ingressa est, et eductis in continentem copiis, urbem totam oppugnatura cominus circumsedit, ante omnia de Archiepiscopi salute cogitarunt, jubentes eum abdere se in Arcem: quorum paruit mandatis, licet invitus, certusque, relicta sibi optione, cum toto grege suo se se in perspicuum conjicere interitum. In hac Arce Cathedralis Ædes in hanc diem superstes, apud quam reliquiae aliquot supersunt Archiepiscopalium quondam aedium, nempe atrium perangustum, arctumque cubiculum, ubi Augustus quatuor supra quadraginta dies, quamdiu protracta oppugnatio est, vitam cum suis toleravit, nempe usque ad diem undecimam Augusti; juxta vero Calendarium Romanum, vigesimam secundam, qua hostes praecipiti se desperataeque fugae dederunt. Fuerunt qui a Patris et Episcopi latere decedere voluerunt, alio aliis dilapsis, qui sui Praesulis fata sequi statuerunt, exemplum admirati praeclari Pastoris, qui rationes suas sui gregis saluti posthabens, animam suam pro ovibus ponere maluerat, quam in morem mercenarii, fugam capessere. Eorum nonnulli in Sacrarium, in templum alii, caeteri in privatas aedes, prout cuique obvium fuerat, promiscue cum militibus se receperunt. Caeterum vix dici potest quot, quantaque incommoda Augustus, inter militares tumultus, ferri, flammarumque, et minas debacchantium, perpessus sit. In magna alimentorum penuria nautico, eoque modico pane vescebatur, frigidaeque potu, infra etiam necessariam mensuram, sitim temperabat verius quam explebat. Effusus tamen in preces noctes ducebat insomnes, et si natura labore confecta eum ad quietem vocabat, male sedens parumper eam recreabat. Huc adde, summum animi moerorem, quo aliorum calamitates ita prosequebatur, et ut ad extremam usque

maciem enectus, ad pristinam multos post annos constantem valetudinem redire nequiverit.

XI. Ne credas tamen, obstrepente bello, tantosque inter trepidantium clamores, indictum divinae Psalmodiae silentium; nam quotidie singulae Horae Canonicae, ut solemne est pacata quaque in Ecclesia rite canebantur: quibus et ipse Archiepiscopus cum suo sacro Senatu, et quibusdam aliis religiosis viris intererat una psallens, sacrificium deinde obiens ipse, quod vocant Conventuale. Post Vesperas, Sanctorum litaniae, ipso semper praesente atque praeeunte, recitabantur. Quibus absolutis, ad aram Deiparae Rosarii pensum persolvebat, additis ejusdem litaniis, aliisque precibus. Tribus hebdomadae diebus ante Augustissimum Sacramentum, publice expositum, preces fundebat, ut Rem Venetam publicam, se ipsum, suumque gregem cum omnibus Christi fidelibus a praesenti periculo vindicaret, impendens de suo, quidquid opus foret ad cultum, dignumque tam pio opere ornatum. Seris autem nepotibus memorabilis erit illa dies, qua Classes concurrerunt, tertia nempe ab ejus appulsu. Statim ac enim e fenestra domunculae suae incendiarias ballistas tonantes audivit, viditque flammas; tintinnabulo omnes, qui inermes erant in arce, ad templum convocavit, quo et ipse se contulit; et serio reputans non civitatem unam, verum etiam Christianam Rempublicam in summo versari periculo, vestes induens pontificales, Lignum Sanctissimae Crucis, quod nuper et in tempore illuc transtulerat, ardens charitate, cum splendido cereorum apparatu, circa moenia portavit, procedente rite populo, nec non sacerdotum, et levitarum ordine; ibique consistens impavidus, crepantibus ex adverso ignitis globis, ter Classi Catholicae benedixit, effusissimis lacrymis Deum deprecatus, ut quod minabatur exitium averteret: suique Praesulis populus sequutus exemplum, gemitibus magis,

quam voce, Dei misericordiam flagitabat: et cum moestissimi filii Patrem suum complorarent in summo discrimine positum, fortior ille, suique victor pro suis ovibus mori praeoptabat, quem tamen, et est superis gratia, Ecclesiae suae felicitati praeripere mors non potuit. Tam illustris pietas in sui traxit admirationem perinde atque Catholicos, etiam Religioni nostrae adversarios; atque adeo Graecos ipsos, licet nomini nostro maxime infensos. Neque silentio praetereundum est, Augusti cubiculo (mirabile dictu) vel igneas pilas, bellicis tormentis excussas, pepercisse, cum aedes reliquas Archiepiscopalis Sedis solo aequassent, quippe quae ob loci eminentiam super caetera aedificia obnoxiae maxime telorum jactu forent, ictibusque propositae.

XII. Praeterea adibat assiduus Valetudinaria quotquot erant Corcyrae, eaque plurima, praeter antiquum, per occasionem belli nuper instaurata, in quorum singulis plures quam centum vel sauciati, vel alio correpti morbo decumbebant: quos omnes viritim paterna dignabatur consolatione; diligenterque percontabatur num ministri, ut par erat, solertem operam praestarent, ne eis quidquam deesset. Et si quem deprehendebat officio suo minus accurate fungi, apud eos, quibus rerum curatio et administratio publice demandata erat, per aulicos suos deferebat, quos semper nactus fuit justis et piis suis postulationibus obsequi paratissimos. Hoc egregiae charitatis officium non corporis modo morbis, sed etiam animae praesentissimum levamen erat: nam sacri cooperatores, singulis Xenodochiis attributi, omnes adhibebant curam, ut sacramenta opportune administrarent, et animam agentibus praesto essent. Tot inter incommoda, quibus scatent hujusmodi calamitosorum hospitia, reluctante licet natura, ea assidue invisere non praetermittebat, neque id cursim praestabat, aut perfunctorie, sed ad duas justas oras, et in-

terdum plures, si quando ita ferret necessitas. Quicumque enim suam invocaret opem, continuo accurrebat, ut vel moriturum peccatis absolveret, vel Episcopali benedictione donaret, vel manus osculo solaretur. Quae omnia quantum laboris et patientiae ei afferrent, quisque conjicere atque aestimare potest. Quod si omnia et singula Christianae pietatis officia, quae sanctissimus Praesul per ea calamitosissima tempora obiit, hic persequi velim, vel taedio legentem afficerem, vel tempus me, calamusque deficeret.

XIII. Tanti Praesulis eximia et pene divina virtus, licet angustis insulae circumscripta terminis, non potuit tamen ita finibus suis cohiberi, ut foras non erumperet, deque ea per dissitas etiam regiones fama magnifice loqueretur. Quodque magis mirandum est, non nostri tantum, sed et Catholicae Fidei adversarii non dubium de Augusto reddebant testimonium. Non est quidem, quamobrem quis de catholicis ambigat: de iis autem, qui heterodoxae fidei sunt, sufficiat vel unus ille, quem superius nominavi, copiarum nempe terrestrium Dux, quique praesens omnia noverat, qui non cuicunque de populo, sed ipsi Innocentio XII. Romano Pontifici testatus est, quod, si Romanae Ecclesiae Praesulum mores iidem essent, qui Archiepiscopi Corcyrensis, protinus foret, ut ipse, neque haesitanter, ad Catholicae Fidei partes, relicto Luthero, transiret. Cum igitur Romam passim nuncii perferrentur, qui Archiepiscopi Corcyrensis laudes celebrarent, summus Pontifex pro sua sapientia in opportuniorem locum eum transferre statuit, unde facilius utiliusque circumquaque late dimanarent doctrinae ejus, et sanctitatis exempla. Forte tunc temporis vacabat Episcopalis Tarvisina Sedes, quoniam praeclarissimus Episcopus Maurocenus ad Sedem Brixianam demigraverat; quapropter summus Pontifex, die secunda Februarii anni 1723, Tarvisinam Eccle-

siam Augusto curandam attribuit. Attamen Corcyrensem non ante Calendas Octobris dimisit; ad hanc enim usque diem, ut Romam proficisceretur, navim conscendere distulit; quoniam ei per Cardinalem ab Epistolis summus Pontifex vetuerat, ne Corcyra discederet, antequam omnis refrigesceret novi belli aut rumor, aut metus, militesque, pacata provincia, ad suas stationes redirent. Adeo necessariam prudentiam ejus in rebus publicis temporibusque difficillimis Pontifex existimabat!

XIV. Quod si magna Corcyrenses tristitia discessus ejus affecit, maxima e contra laetitiae significatione eumdem excepit Tarvisium die vigesima septima Januarii anni insequentis: qui biduo post solemni ritu ac pompa, frequentissimo populo, cunctisque plaudentibus, sui Regiminis initia celebravit. Sane boni omnes Deo, quod irreprehensum Pastorem, multisque rebus et magnis spectatum et cognitum, ad suam Ecclesiam sanctis informandam moribus sibi donasset, gratias agebant multo maximas, pietate gestantes. Haec enim Ecclesia dolore perculsa, quod optimum Pastorem Maurocenum amiserat, respirare sibi visa est, sperans se brevi pristinam tranquillitatem et gaudium esse recuperaturam. Neque nos spes nostra fefellit. Nam statim atque Ecclesiam hanc regendam suscepit, salutaribus summumque Religionis studium praeseferentibus Decretis, Clerum admonuit; quoscumque sacrae militiae mancipatos, debere morum splendore ac sanctitate praelucere caeteris; scientes se a Christo Domino vocari: *lucem supra montem positam*, ac per ipsos fieri oportere, ut omnes *Patrem glorificent*, *qui in caelis est.* Animadvertens autem rerum divinarum inscitiam matrem esse et magistram erroris, serio Parochos hortatus est, ut oves suas nutrirent caelesti pabulo Christianae Doctrinae, neque eis satis foret, si eam memoriae tantummodo mandandam curarent, nisi etiam panem petentibus frangerent: ne

cuipiam esset querelae locus: se panem petiisse, neque inventum qui frangerent. Ut autem quae ipse dabat mandata firmaret exemplo, quotidie rigidiore licet ac pluvio caelo, aliquam ex Ecclesiis adibat, ut primis sacrorum Mysteriorum rudimentis pueros imbueret: quo in labore justae saltem horae tempus, idque stando semper, et aestu madens, impendebat: quod muneris dum obiret, omnibus perspicuum erat quam impense commissi sibi gregis saluti studeret. Sed ne quid in re tanti momenti peccetur, neve quid praepostere inordinateque fiat, libellum edidit typis impressum, in quo, postquam demonstrasset Doctrinae Christianae dignitatem atque excellentiam; quippe quam docuit Christus ipse Dominus, Sapientia Patris, et Apostolis tradidit, a quibus eam accepimus; ejus Doctrinae necessitatem ostendit, cum viam una sternat nobis, qua in illam possimus aeternam requiem ingredi, quae nos manet in Caelo. Deinde eorum, qui tanto operi, tamque necessario, curam auxiliumque impenderent, officia recenset, singulisque praecepta et normam tradit, quibus innixi ad optatum finem perveniant, ut recte videlicet, sancteque adolescentuli Christi Doctrinam doceantur. Ne vero quispiam invitus, vel segnis ad locum scholae caelestis accederet, Indulgentias innumeras, quas Summi Pontifices, quasi spiritualia stipendia dispertierunt, proponit; quibus omnes allecti laeto promptoque animo properent adesse.

XV. Post haec necessitatibus suae Dioeceseos obviam ivit, eam lustrando, salutis periculive sui plane securus, Apostolici ardoris, eximiae pietatis, ac Pastoralis sollicitudinis ubique insignia relinquens vestigia. Nam singulis diebus, re divina facta, et frequentissimo populo sacra Synaxi refecto, sacro Chrismate initiatos inungebat, et licet id negotii ad meridiem plerumque protraheret, interdum tamen et pomeridianis horis eidem insistebat, ne aliquis non confirmatus abiret; idque tam periculoso

conatu, ut aliquando vix a lassitudine stare posset, inniti coactus suorum ministrorum fulcientibus brachiis. Laborem hunc, nulla mora interposita, non minor alius excipiebat, Christianae quippe Doctrinae, quam tradebat circumfluentibus, donec appropinquaret hora currum ascendendi, ut ad aliam Ecclesiam iter arriperet: adeo nulla die ab operosa animarum cultura vacabat. Ex his patet non modo minime diminutum in eo, sed magis auctum fuisse illum charitatis ignem, et pastoralis animi omnimodam virtutem, quam antea semper ostenderat, ita ut passim, et palam diceretur perfecti Episcopi in ipso formam inesse, et exemplar. Hinc conjicere est quanta eum oportuerit incommoda perpeti, in tam lata Dioecesi, ab Alpibus ad undas Adriacas pertinente: quanta uti animi moderatione, ut modo suavis et indulgens, modo foret acris ac vehemens, ne quid intentatum relinquat, quo minus tum Cleri, tum populorum mores, ad rectam Patrum normam, si forte aberraverint, revocaret. Atque extant etiam nunc, quae, ubi opus fuit, sua manu exaravit edicta et constitutiones, quas etiam iter faciens dabat ex aliquo vel pago, vel oppido, ubi tantisper consistebat, opus urgens visitationis: quae quidem constitutiones Apostolorum disciplinas redolent.

XVI. Expedito tandem gravissimo Visitationis negotio, in qua omnes et singulas Dioecesis partes perlustrans, diligenterque explorans, optime intellexit quid quoque loco sit, quod emendatione indigeat, vel omnino desideretur. Quare reversus postremo in Urbem, unde, veluti e specula, memori mente cuncta, quae viderat, prospiciebat; nullis datis labori induciis, diu, noctuque secum ipse reputabat, quibus salutaribus, praeter ea, quae jam adhibuerat, remediis, pravos quosque gregis sui mores e medio tolleret, suique Cleri disciplinam vel inclinantem erigere, vel erectam firmare posset. Quare intentus tanto

operi, nullo parcens labori, prudentissima edidit decreta, sanctissimasque leges, quas deinde in Synodo Dioecesana latas, publici juris fecit, prelis subjectas typographicis. Hujus Codicis auctoritas, quae viget adhuc apud nos, resque hujus Ecclesiae ritus et disciplinas dirigit, tanti facienda est, ut clarissimus vir (ne aliorum sententias, vel temporis judicium proferam) qui Venetae Reipublicae auctoritate Censor institutus erat librorum, qui typis forent imprimendi, ipse, inquam, Censor P. Paulus Coletti, data Venetiis ad Augustum epistola, ipsi gratulatus sit de opere, quod eximium absolutumque exegerit. Quoniam vero auxilio indigebat ministrorum, ut populus divinas, ecclesiasticasque leges doceretur, in illud curam omnem intendebat, ut Clerici apprime et Sacerdotes erudirentur, quo idonei fierent, ut aliorum mentibus, quae necessaria scitu essent, suppeditaret. Propterea in Episcopales Ædes semel, aut bis in mense convenire eos jubet, ubi conscientiae quaestiones, quas antea proposuerat is, qui concioni jussu Episcopi praeerat, dictis utrinque sententiis, discutiantur; atque ad ultimum solvantur ipsius praesidis, veluti oraculo. Identidem praeterea a Vicariis Foraneis coram se congregatis, statum omnium Dioecesis Ecclesiarum inquirebat, ut opportuno remedio, antequam malum increbresceret, necessitatibus consuleret. Qui de omnibus adeo sollicitus erat, ut gravi cura premeretur, vix dici potest quanta praesertim in pauperes misericordia et charitate moveretur. Sed quia jam nonnulla de ejus munificentia in egenos superius attulimus, quando erat Corcyrae; hoc loco nihil addendum ducimus, nisi in ejus corde in tantum auctam fuisse charitatem, ut quereretur et doleret, non tantas esse sibi opes, quibus posset indigentium egestati satis superque, quemadmodum optabat, opitulari.

XVII. Cum jam supra innuerimus tanto eum in literas, ac

scientias amore ferri solitum, ut ingenii sui ac doctrinae non pauca posteris monumenta relinquere potuerit; aequum est, ut etiam aliquid de scriptis ejus dicamus. Itaque junior adhuc, et antequam sacrae militiae nomen daret, multa scripsit ligata, et soluta oratione, utpote literis deditus humanioribus. Inter haec primo loco censentur Memoriae Gallici Regni ab origine Monarchiae ad annum usque 1610, tribus voluminibus, quae consequitur Genealogia singulorum Europae Principum suis digesta stemmatibus. Tum vero cum inter Patavinos Canonicos cooptatus fuit, illius Ecclesiae Episcoporum seriem ordinavit, illustravitque exquisitissimis atque antiquissimis documentis, ex illius Archivo summa diligentia, et improbo labore depromptis; nec ea seris nepotibus mandare omisit, quae magno damno dignitatis suae Ecclesiae cum tineis luctabantur, et opus ad hodiernum usque Praesulem protraxit. Archiepiscopus vero Corcyrensis designatus, ecclesiastica tantum studia in deliciis habuit. Hinc prospiciens fore, ut ad arduum sibi cum Graecis disputandi negotium esset, controversiarum doctrinam uno comprehensam volumine sibi paravit, cui addidit aliud, quod Schisma Graecorum confutatum inscripsit. Splendida hac supellectile, exquisitis confecta doctrinis, et argumentis munita, eorum audaciae occurrere nunquam timuit. Et quoniam errorum illius gentis caput est et origo discidium illud infaustum a Petra, super quam aedificata a Christo Ecclesia est, non potest fieri, quin illis ostenderit nullam aliam praeterea inveniri petram, ubi consistere homines possent: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Stulti sunt igitur qui ab hac Petra (Petro scilicet Christi Vicario) recedunt, ingrati vero atque impii, qui Petram salutis, quam revereri ac diligere debent omnes, oblatrant, veluti canes, ac invido rictu et dente mor-

dere conantur. Quisquis illi Petrae non fideliter adhaeret, exspes errat, et in praeceps agitur, quippe qui ad Christi Ecclesiam, in qua tantum salus est, minime pertineat.

Elucidarium Evangeliorum XVI. voluminibus scripsit, in quo summo studio Acta Evangelica narrat, temporum serie concinnata, sacros historicos inter se, sicubi dissidere videantur, sanctorum Patrum insistens vestigiis, scite concilians. Adde alind Opus quinque conflatum voluminibus, in quo adnotationes affert in Acta Apostolorum, sed italo sermone.

Cum autem Corcyrensis Ecclesia sacros ritus plane ignoraret, ut et Canonicas Horas sine necessario Calendarii subsidio canere, et recitare solerent; ut tantam, tamque turpem inscitiam ex illo suo Clero eliminaret, horum originem et necessitatem scripto ad id volumine patefecit: tum Sacerdotes omnes, quae ad sacrosanctum Missae sacrificium spectant, quasque caeremonias inter celebrandum observare deberent, edocuit, Canonis mysteria praesertim explicando, quem a sacro Divinae Scripturae fonte derivatum ostendit. Aliud praeterea Opus elucubrando confecit, cui titulus: Concordantia Martyrologii Romani cum Mendogiis, et Menaeis Graecorum: cui addidit antiquarum ac recentiorum haeresum historiam, eas satis superque refellendo, et inter se comparando: ponderosum Opus, quippe octo constans voluminibus.

Sicuti autem otio perpetuum bellum indixit, ita a curis hujus Dioecesis cum vacat, aut legentem aut scribentem invenias; nunquam relaxantem animum, nisi in preces ad Deum incumbat, utcunque gravis aetas, et anceps, infirmaque valetudo quietem postulet sane multam. Duobus ab hinc annis literas scripsit, quibus a SS. Patribus, quale sit munus Episcopi, inquirere aggressus est, idque quasi in bene picta tabula ob oculos ponit. Adde quae de honestate Clericorum, de officio

Parochorum, literis prosequutus est, quaeque de Monialium regimine nunc temporis, dum haec enarro, impigre elucubrat. Dolendum est enimvero tanti viri labores, scripta, lucubrationes vel maxima ex parte, nescio quo fato periisse, vel fortasse alicubi delitescere: quae si tandem aliquando in lucem proferrentur, eximiam auctoris solertiam ac sapientiam patefacerent.

XVIII. Antequam finem facio, non erit abs re fortasse lectorem admonere, non esse perperam factum, quod Archiepiscopi nomen Augusto adhaeserit etiam postquam a Sede Archiepiscopali discessit; nam Summus Pontifex piissimo, doctissimoque viro, et de Sede Apostolica optime merito, non solum titulum, sed et dignitatem Archiepiscopalem confirmavit, quandoquidem singulari privilegio, seu Indulto, ad eum Pallium quoque miserit: quod insigne ornamentum impositum ei fuit in Ecclesia Monialium S. Pauli hujus urbis a celeberrimo doctissimoque viro Angelo Maria Querino, Episcopo Brixiensi, in amplissimum postea Eminentissimorum Cardinalium Collegium jure meritoque adlecto.

Fractus demum tantis curis ac laboribus, sensit ingravescere aetatem, et vitae finem appropinquare; propterea, ne quid in eo casu esset, quod de una tantum aeternitate cogitare volentem impediret; tempore sua manu Testamentum scripsit, decem scilicet annos antequam decederet. Qui quidem ea pietate, quam semper coluerat, verba initio statim affert Christi Domini, quibus Salvator noster omnes hortatur, ut parati sint, ne mors imprudentes corripiat. Praefatus igitur primum quae Religioni consentanea sunt, res omnes cujuscunque generis ad se spectantes ita prudenter dispertit, Nepotibus videlicet ex fratre, quos haeredes instituit, tum aliis porro, tum pauperibus; ut justitiae, et beneficentiae satisfieret. Speciali vero quo-

dam affectu Ecclesiae Cathedrali multa dono reliquit, indumenta nempe sacerdotalia, necnon insignia atque ornamenta Pontificalia, quibus in suis solemnitatibus Canonici, quos benevolo semper animo se complexum fuisse testatur, uterentur. Etiam Seminario multa legavit tum libros, tum supellectiles, tum pecuniam, quae sibi ab aliis solvenda esset: ita ut illi tam salutari Instituto non exiguum adjumentum praestiterit. Sed advenit tandem sibi expectatus, aliis vero luctuosus annus 1739, in quo sanctissime diem obiit supremum, circiter annos 78 natus, et elatus Christiana pompa, conditus est in Cathedralis Ecclesiae crypta, ut jam ipse pridem jusserat.